

supernaturali, sed eodem modo loquitur, dicens Deum concurrere immediate ad hos actus per suum concursum generalem, vel universalem, quia nulla causa secunda, etiamsi supernaturalis sit, nisi a Deo immediate influente adjuvetur, quidquid efficere potest, ut expresse habet disp. 36, alias 37, § *Cum autem*, ubi etiam dicit unicam esse actionem in tali actu, quæ est a Deo, potentia, et habitu, et illam dicit esse in se supernaturalem, et licet consideret quasi specificative aut determinative habere a principio proximo supernaturalitatem, non dubitat tamen quin effective tota sit ab istis principiis, et a singulis eorum in suo genere, et ideo vocat illas causas parciales partialitate causæ, non effectus, de qua locutione paulo post dicam. Et disp. 36, § *Quoad primam*, expresse dicit Deum, per suum supernaturalem influxum, non solum concurrere ad hos actus, sed etiam evehere alias causas, ut illos producant; et in § *Hinc liquet*, repetit Deum supernaturaliter influere in hos actus, et idem habet quæst. 23, artic. 4, membro 6, ad primam objectionem.

8. *Modus loquendi Molinæ.* — Solet autem Molina interdum loqui de hoc auxilio generali, ac si esset unum quid indifferens ad influendum in actus naturales et supernaturales; et ideo putatur vocare illud commune, non communitate rationis, sed causalitatis, ac si esset unus numero indifferens ad actus naturales et supernaturales, vel saltem ita unus, ut semper sit ejusdem ordinis naturalis. Sed hæc et in se improbabilia sunt, et in mentem ejus nunquam venerunt, quia ille non ponit alium concursum, præter eum qui imbibitur in ipsa actione causæ secundæ, et ideo dicit esse influxum in effectum, et non in causam: ergo non potuit cogitare unum numero concursum Dei, qui sit aliquid creatum, dari ad omnes actiones voluntatis, cum singulæ intime inducant suum influxum, vel esse unum specie, vel ejusdem ordinis, cum expresse dicat Dei concursum modificari in unaquaque causa, secundum naturam et speciem ejus.

9. *Quid sit ille Dei concursus, et quomodo dicatur communis.* — Igitur hic concursus Dei duobus modis considerari potest. Primo, ex parte Dei, et quasi in actu primo, et sic non est aliquid distinctum ab ipso Deo, sed est ipsa voluntas Dei parata ad concurrentem, et sic dicitur de se indifferens, quia parata est voluntas Dei ad concurrentem cum voluntate creata, juxta modum cooperationis ejus, tam ad actus naturales quam ad supernaturales, et ad bonos,

et ad malos. Secundo, potest concursus Dei considerari, ut fluens a Deo, et in actu secundo, et sic nunquam est in re indifferens, aut communis communitate (ut ita dicam) reali, sed rationis: nam in re semper est modificatus juxta exigentiam termini, seu effectus, et consequenter semper est aut naturalis in actibus ordinis naturæ, aut supernaturalis in actibus ordinis gratiæ, ut in utroque ordine est diversarum specierum pro diversitate actuum. Quia vero in quocumque effectu hic concursus est a Deo, ut a causa universali, et non propria et particulari, itemque, quia hæc dependentia a Deo generalis est omnibus actionibus creatis, ideo secundum hanc considerationem dicitur hic concursus communis vel universalis, communitate et universalitate rationis, non rei: et simili modo dicitur generalis, quia est a Deo, ut generaliter influente, et secundum eundem respectum dicitur esse ejusdem rationis, non specificæ, vel naturalis, sed abstractæ, et quasi transcendentalis.

10. *Et generalis.* — Ad hunc ergo modum vere dicitur auxilium adjuvans ad actus supernaturales, quando est per modum concursus primæ causæ, esse auxilium generale, quia necessitas ejus non provenit ex particulari excellentia actu supernaturalium, sed ex generali conditione omnium actuum creatorum, quæ est essentialiter pendere a primo actu increato, quamvis unusquisque actus postulet hanc dependentiam juxta modum et perfectionem suam; peculiari etiam modo dicitur hoc auxilium generale in ordine gratiæ, quia, licet consideratum absolute, secundum suam entitatem et perfectionem sit speciale, quia est altioris ordinis quam omnia auxilia naturalia, et quia non erat debitum homini secundum naturam suam spectato; nihilominus, comparatum ad alia auxilia gratiæ, et præsertim ad habitus infusos, recte dicitur generale, quia servat eandem proportionem ad principia supernaturalia, quam concursus ordinis naturæ ad virtutes naturales.

11. *Quarta conclusio.* — Quarto, dicendum est, sicut concursus ordinis naturæ est debitus virtutibus naturalibus, ita hic concursus supernaturalis est debitus virtutibus supernaturalibus, in quo aliquo modo deficit a ratione gratiæ omnino indebitæ, sicut de concursu naturali diximus lib. 1, cap. 1, et tradit Soto, lib. 1 de Nat. et grat., cap. 2; quam assertionem tradidi etiam in libr. 3 de Auxil., cap. 3, num. 4; eam vero referens Ledesma, dicta quæst., art. 4, corollar. 2, post quintam con-

clusionem, eam impugnat, dicens contrarium commune esse inter Theologos, præcipue discipulos D. Thomæ, nimirum, concursum generalem, etiamsi sit proportionatus virtuti causarum secundarum, non esse illis debitum. Ratio autem ejus est, quia concursus generalis, seu auxilium generale, in ordine gratiæ est auxilium efficax: sed auxilium efficax non est debitum; ergo auxilium generale non est debitum. Minor probatur, quia quoties voluntas actu non diligit Deum, non recipit auxilium efficax, et tamen nullum auxilium illi debitum denegat illi Deus; ergo auxilium efficax non est debitum.

12. *Probatur ratiõne.* — Hæc vero ratio melius probat auxilium efficax, physice præveniens et determinans voluntatem, non esse necessarium ad generalem concursum Dei cum voluntate et habitibus ejus, sive acquisitis, sive infusis, quam quod generalis concursus non sit debitus causis secundis. Nam hoc profecto negari non potest, loquendo de illo debito, quo proprietates connaturales unicuique rei debentur, quod debitum sufficit ad fundandam aliquam rationem justitiæ in Deo, sicut dixit D. Thomas, 1 p., quæst. 21, art. 4. Quis autem neget concursum connaturalem et proportionatum esse veluti proprietatem quamdam connaturalem uniusejusque virtutis? Ergo talis concursus est debitus, hoc nimirum debito connaturalitatis. Et hac ratione id asseruit Soto, dicto lib. 1 de Natur. et grat., c. 2. Nec ego inveni Theologos contradicentes, quos oporteret in præsentem allegare; imo multi dicunt voluntatem, aliquam violentiam pati, si sufficienter proposito objecto, et positis aliis requisitis ex parte ejus, ei denegetur concursus ad amandum, et ideo amorem non eliciat, quod tenuit Almain. in tract. 1 Moral., cap. 2, et sequitur Medina 1. 2, q. 6, art. 4; quæ doctrina maxime fundatur in hoc, quod talis concursus est debitus, ut notavit Vasquez 1. 2, disp. 26, cap. ultimo. Confirmatur primo. Nam potentiæ debetur actus proprius hoc debito connaturalitatis, et ideo dicunt Theologi intellectui lumine gloriæ elevato deberi visionem beatam, et similiter materiæ proximæ dispositæ et organisatæ ad esse hominis, debetur anima rationalis, et hæc ratione est naturaliter debita creatio animæ rationalis. Ergo simili modo debetur lumini gloriæ concursus ad visionem beatam, et idem est cum proportione de cæteris virtutibus, tam infusis quam acquisitis. Confirmatur secundo, quia si non debetur igni concursus generalis, non erit contra

ordinem naturaliter debitum negare illum talem concursum, sicut ille auctor dicit non esse contra debitum naturale negare homini auxilium efficax ad amandum; ergo non erit miraculum ignem non calefacere, vel non comburere pueros in camino Babylonis, quia solum non combussit, quia defuit Dei concursus: negare autem talem concursum non fuit miraculum, juxta illam sententiam, quia negare quod non est naturaliter debitum, non est miraculum, sicut negare auxilium efficax non est miraculum; ergo neque carentia actionis, quæ inde sequitur, miraculosa est, sicut non est, hominem carentem auxilio efficaci non diligere Deum.

13. *Solvitur objectio ex discrimine agentium necessariorum et liberorum petita.* — Fortasse vero aliquis, argumento convictus, dicet, agentibus ex necessitate naturæ deberi auxilium efficax, quia generalis concursus semper est determinatus juxta capacitatem talium agentium: agentibus autem liberis non deberi auxilium efficax, quia nullum est determinatum ex natura talis agentis. Sed hoc imprimis gratis dicitur, quia non redditur ratio cur ignobilioribus causis secundis debeatur auxilium primæ causæ proportionatum suis virtutibus, et non debeatur nobilioribus agentibus liberis proportionatum ipsis et peculiari modo agendi illorum. Et deinde non minus miraculum esset, voluntatem de se expeditam cum omnibus requisitis ad agendum nihil libere velle ex solo defectu concursus, quam ignem non cremare ex defectu sui concursus; ergo tam est debitus voluntati concursus ad libere volendum, sicut igni ad calefaciendum. Est tamen notanda diversitas, quia igni debetur unus determinatus concursus, voluntati autem minime, sed indifferens juxta illius naturam, seu multiplex sub disjunctione, ut ita rem explicem, id est, concursus ad volendum, vel nolendum, aut ad volendum hoc, vel oppositum.

14. *Quale sit illud discrimen respectu concursus debiti.* — Unde sequitur aliud discrimen, nam respectu agentis necessarii debitum est (ut ita dicam) absolutum, id est, nullam includens conditionem, quæ non ex naturali necessitate compleatur: respectu vero voluntatis liberæ, licet absolute debeatur concursus sub disjunctione modo explicato, determinatus autem concursus ad talem actum non debetur, nisi sub conditione pendente ex libertate voluntatis, nimirum si per ipsam non steterit, seu dummodo ipsa cooperetur. Hæc autem conditio habet locum in auxilio efficaci

comitante, ut per se patet, et in libro 3 dicitur. Et ideo tale auxilium potest esse debitum modo prædicto, et actu non dari, quia ex parte Dei non denegatur, imo semper est paratum sub prædicto modo et conditione, et quoties de facto non datur, positis aliis prærequisitis ad agendum, solum est ex defectu conditionis ex parte hominis deficientis. Dicta vero conditio non ita locum habet in auxilio efficaci physice præveniente voluntatem, quia tale auxilium, ut actu conferatur, non potest pendere ex libero usu voluntatis, ut in libro quinto ostendam. Ex quo (ut dicebam in principio) potius infertur nullum esse tale auxilium efficace, quod possit esse generale, aut necessarium ad liberam actionem voluntatis; tum quia necessitas illa non esset composita, sed absoluta, cum non pendeat ex usu libero voluntatis; tum etiam quia ex ipso quod tale auxilium determinatum pro solo Dei arbitrio dari dicitur vel negari, est evidens argumentum, illud non pertinere ad concursum generalem, et essentialem dependentiam secundæ causæ a prima in agendo, ut ex dicendis in sequenti capite patebit.

15. *Quomodo intelligitur hoc debitum auxilii generalis, et respectu cuius.* — Quæret fortasse aliquis an hoc debitum intelligatur solum respectu ejus qui ex habitu operatur; videri enim potest ita esse asserendum, quia hoc auxilium non debetur voluntati secundum se spectatæ, sed ratione virtutis supernaturalis; ergo non habenti habitum non debetur hoc auxilium. Respondetur argumentum concludere non deberi debito connaturalitatis; nihilominus tamen alia ratione dicendum est, ex convenienti ordine divinæ providentiæ, peccatori jam sufficienter excitato ad fidem, vel pœnitentiam, vel similes actus, moraliter esse debitum hunc concursum. Ratio est, quia licet excitatio non sit principium physicum, est principium morale sufficiens in suo ordine, et datur ut homo possit moraliter converti; et ideo secundum rectum ordinem providentiæ secum affert paratum auxilium physice adjuvans, si per hominem non steterit, et hoc est morale debitum de quo loquimur. Accedit quod homo sic excitatus potest libere consentire, et ad hunc finem datur illi excitatio, et ab eo sæpe consensus sub obligatione exigitur; ergo tali providentiæ supposita, debetur illi concursus necessarius ad consensus, saltem sub ea conditione, si per hominem non steterit.

16. *An concursus Dei generalis, et ut causæ*

primæ sit necessarius non operanti ex habitu.

— Sed quæri rursus potest an in illo qui non operatur supernaturaliter ex habitu, sit necessarius duplex Dei influxus in ipsum actum; unus, quo supplet vicem habitus et agit ut causa proxima, alius generalis causæ primæ. Videtur enim ita necessario dicendum, quia quando habitus adest, habet suum concursum distinctum a concursu generali; ergo quando Deus supplet concursum habitus, adhibet etiam distinctum influxum. Respondetur in re ipsa non esse duos influxus, sed unum eminentiorem virtute, continentem plures, qui ratione possunt tantum distingui. Nam, ut supra dixi, illa actio unica est, et simplex, ideoque etiam respectu principiorum realiter distinctorum, ut sunt causa prima et secunda, vel habitus et potentia, non distinguuntur in re tanquam duæ partiales actiones, sed solum habitudine rationis; ergo multo minus poterunt distingui respectu Dei, in quo ratio causæ primæ et proximæ in re non distinguuntur; imo si ibi consideretur Deus præcise ut causa particularis supplens vicem habitus, ille influxus, ut est a Deo, est longe altioris rationis quam influxus habitus, quia iste est influxus principii creati, et ideo postulat concursum causæ primæ: influxus autem Dei est a principio increato, et ideo per se est independens ab omni superiori causa. Unde in tali influxu sic spectato, nec ratione distinguuntur concursus causæ primæ, et influxus Dei ut causæ proximæ, cum neque in ipso Deo distinguantur ratio causæ primæ et proximæ, neque in ipsa actione distingui possint actio causæ proximæ et concursus causæ primæ, quia illa actio per se talis est, ut concursu alterius causæ non indigeat; ita ergo est in dicto influxu Dei in talem actum supernaturalem, præcise spectatum ut est a Deo, ut causa proxima, et supplente vicem habitus. Quia vero actio illa etiam est a voluntate creata, ideo, respectu illius, ille influxus Dei, et habet rationem specialis adjutorii suppletis vicem habitus, et rationem concursus generalis ordinis gratiæ adjuvantis potentiam creatam, et ita potest ibi ratione distingui duplex Dei concursus.

17. *Concursus ille generalis ad actus supernaturales est donum ordinis gratiæ.* — Ultimo, ad quæstionem directe respondendo, dicimus ultimo concursum hunc generalem ad supernaturales actus esse verum donum ordinis gratiæ gratuitum, et speciale respectu concursus generalis ordinis naturæ, quæ resolutio communis etiam est, et singulæ partes facile pro-

bantur ex dictis: nam esse donum ordinis gratiæ ex tertia assertionem manifestum est, quia est donum in se supernaturale, sicut est actus ipse ad quem datur. Esse autem gratuitum probatur, quia per se non datur ex operibus, quia non requirit antecedentia opera. Et licet non detur nisi cooperanti, non tamen datur propter cooperationem, quia nullo modo cooperatio antecedit tale auxilium, sed ad summum est simul cum illo: datur ergo ad operationem cum comitante cooperatione causæ secundæ, gratis tamen datur. Quod si contingat præcedere aliquod meritum, vel impetratio talis auxilii, illud non potest esse fundatum in operibus solius naturæ, sed in fide, et priori gratia; et ideo etiam tunc est donum gratuitum, quamvis non primum, sed tanquam gratia pro gratia, quod satis est ut non sit simpliciter ex operibus; et ideo etiam in gratia excitante idem contingere potest, ut in superioribus sæpe dictum est, et in libro ultimo latius dicemus. Atque ob eandem causam non obstat huic parti assertio præcedens, quia licet hoc auxilium detur ut debitum habitui, vel priori gratiæ, nunquam datur ut debitum naturæ, secundum se spectatæ, et ideo semper illud debitum est fundatum in gratia, et consequenter ipsum auxilium est semper gratuitum tanquam gratia pro gratia. Ex quo etiam facile patet ultima pars de auxilio speciali; nam omne auxilium gratiæ comparatione naturæ est speciale, quamvis respectu prioris gratiæ, præsertim habitualis, vocetur generale in ordine donorum gratiæ, et per quandam convenientiam seu proportionalitatem ad concursum naturæ. Nam sicut iste est communis ad virtutes naturales, ita ille est communis ad supernaturales. Si autem illi duo inter se comparentur absolute respectu naturæ, sic concursus gratiæ est specialis, quia est ultra debitum naturæ; concursus autem naturalis est tantummodo et quasi per antonomasiam generalis, quia non excedit commune debitum naturæ.

18. *Diluitur objectio.* — Una superest objectio facilis, quam non omitto, quia ad magis declarandam distinctionem auxiliorum deservire potest. Videtur ergo sequi, ex dictis, ad excitantem gratiam esse necessariam adjuvantem, quod videtur inconveniens: tum quia alias confunderentur istæ gratiæ inter se; tum etiam quia tunc gratia excitans non esset prior quam adjuvans, sed vel ordine naturæ posterior, vel ad summum essent simul, quod est contra supra dicta. Sequela patet, quia

gratia excitans est opus supernaturale factum ab homine; ergo non potest fieri sine concursu Dei ejusdem ordinis: sed talis concursus est gratia adjuvans; ergo non potest fieri sine gratia adjuvante. Respondeo committi æquocationem in verbo *gratia adjuvantis*; proprie enim dicitur respectu arbitrii libere operantis, et sic omnino distinguitur a gratia excitante, ut excitans est, præsertim loquendo de adjuvante per modum influxus, ut supra probatum est. In hoc ergo sensu negatur sequela, cujus probatio non procedit, quia motus gratiæ excitantis non fiunt a nobis libere. Si autem aliquis omnem concursum Dei ad omnem etiam actionem necessariam vocet auxilium adjuvans, sic verum est Deum efficere in nobis actus gratiæ excitantis, adjuvando et elevando nostras potentias ad illos efficiendos: nam eo modo quo in illis motibus potest distingui via et terminus, seu actio et qualitas, potest etiam distingui auxilium quasi adjuvans potentiam ad agendum a gratia formaliter excitante potentiam. Ille tamen modus loquendi, ut dixi, non est usitatus, sed utrumque sub gratia excitante, sive in fieri, sive in facto esse comprehenditur.

CAPUT XXVI.

COROLLARIA NONNULLA QUÆ EX DOCTRINA SUPERIORIS CAPITIS INFERUNTUR.

Priusquam de concursu prævio in causam dicam, operæ pretium visum est, ex doctrina capitis superioris, nonnullas proprietates seu vera attributa hujus concursus comitantis inferre, ut supponamus ea in quibus nulla fere est dissensio inter eos qui de concursu per influxum in causam dissentiunt, quæ maximam lucem afferent ad intelligendam sententiarum diversitatem in alio puncto de concursu prævio, simulque ad percipiendam efficaciam rationum utriusque opinionis multum conferunt.

1. *Auxilium actuale est aliquid creatum potentiis inhærens.* — Primo ergo colligitur, ex dictis, hoc auxilium actuale, quod est per modum concursus comitantis, esse aliquid creatum animæ potentiis inhærens. Hoc pro composito habent omnes Theologi, et philosophi etiam in sua sphaera, quia hic concursus est dependentia operationis creatæ a creatore; ergo est aliquid creatum, seu factum existens in subjecto, in quo ipsa operatio existit. Invenio tamen generatim relatam, sine nomine auc-